

1  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31





1700.

- 22<sup>a</sup> <sup>b. n. c.</sup> Strykius, Jo. Samuel: De jure spectrorum. 3 Exempl.  
23<sup>a</sup> <sup>n. d.</sup> Strykius, Jo. Samuel: De allegatione propriae  
impudens.  
24. Strykius, Jo. Samuel: De Hamburgensium Testamentis  
25<sup>a</sup> <sup>b.</sup> Strykius, Jo. Samuel: De jure creaturam. Von Witten-  
Leger. 2 Exempl.  
26<sup>a</sup> <sup>b.</sup> Strykius, Jo. Samuel: De liberis naturalibus. 2 Exempl.  
1700: 1711.  
27. Strykius, Jo. Samuel: De conditione triticaria.  
28<sup>a</sup> <sup>b.</sup> Strykius, Jo. Samuel: De rejectione ab actis. 2 Exempl.  
29<sup>a</sup> <sup>b.</sup> Strykius, Samuel: De jure protestantis constructionem  
volentibus. 2 Exemplare  
30<sup>a</sup> <sup>b.</sup> Strykius, Samuel: De foro principum et prin-  
cipum communis. 2 Exempl. 1700 = 1740  
31. Strykius, Samuel: De potestate clericorum in  
seculis.



32. Strykuis, Samuel: De jure funerandi.

[Annot. Nicolaus Kero

33. Strykuis, Samuel: De periculo petentis

34<sup>a, b, c</sup> = Strykuis, Samuel: De probatione contra praestitum juramentum legale. 2 Exempl.

35. Strykuis, Samuel: De obsequio judicis inferioris.

36<sup>a, b, c</sup> = Thomarius, Christianus: De praesumptione boni factis. 4 Exempla 1700, 1724, 1735<sup>a</sup> & 1749.

37<sup>a, b, c</sup> = Thomarius, Christianus: De legitimis viventes. 1700, 1713 & 1727.







3

3

3

35

36

37

*[Faint handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





9874

No: 340.

1708 24

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

De

HAMBURGENSESIUM  
TESTAMENTIS,

10

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

MARCHIONE BRANDENB. ET ELECTORATUS  
HEREDE, &c. &c.

*In Illustri Fridericiana,*

EX DECRETO INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ  
PRÆSIDE

DN. IO. SAMVELE STRYKIO, D.

PROF. PUBL. ORD. ET FACULTAT.  
IURID. DECANO,

PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores

Consequendi,

Die VII. Maji, A. R. S. M. DCC.

Horis ante- & pomeridianis,

Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit,

ALBERTUS HENRICUS THO BÜHREN,  
Hamburgensis.

HALÆ MAGDEB. Literis Joh. Jac. Krebsii, Acad. Typ.

1708





DISPUTATIO IN JURIS JURIDICA  
MUSEUM  
TESTAMENTIS

DEO

AC

PATRIÆ.





## INGRESSUS.



Constat inter omnes, nec  
ullum plane dubium est, quin Patricio,  
ac nobili, inprimis autem causas oran-  
ti, & advocaturo turpe sit, Jus Civita-  
tis, ac loci illius, in quo jam versatur,  
aut aliquando per omnem vitam ver-  
saturus est, ignorare, *l. 2. §. 43. ff. de Orig.*

*Jur. Cic. lib. 3. de Leg.* Quamobrem ea inprimis Jura,  
Constitutiones, ac Leges, quæ in qualibet, ubi quis degit,  
natus, ac educatus, & posthac victurus est, Provincia, aut Ci-  
vitate obtinent, curare, atque pensi habere, cuius merito  
convenit, *Act. Erudit. Lips. de anno 1685. p. 227.* Id ipsum igitur  
ut a me hactenus pro virili factum hac ipsa Dissertatio-  
ne Inaugurali ostenderem, argumentum illius sollicitè cir-  
cumspicienti, ex Patrii Statuti Oraculis id omnium quam  
commodissime desumi posse, visum est, utpote quod cum  
Juris Communis tractatione ab eo, qui non rabulam actu-  
rus; sed Civium, ac Patriæ commodis utiliter posthac in-  
serviturus est, semper duxi conjungendum, præsertim, cum  
Juris utriusque convenientia pariter, ac necessaria quando-  
que discrepantia, cui minimum quod ad potiora capita co-  
gnoscendæ opera omnino impendenda est, non aliter pos-  
sit innotescere. Nec enim usque quaque svavissimæ Patriæ  
Leges, quæ Jus Commune, dictitant. Sed nonnunquam  
a Prudentissimis Statutorum Patriæ Conditoribus, vel ob  
evidentioræ æquitatis, humanitatisque rationem a Juris  
Civilis placitis factum est divortium, Ut adeo de Patria  
mea recte dicatur, quod partim proprio jure gaudeat, partim

A. 2

alie-



#### INGRESSUS.

4  
 alieno jure utatur §.1. *Infl. de Jur. Nat. Gent. & Civil.* Diversitas quippe ingeniorum, morum, facultatum, commerciorum, vitæque generis, imo locorum ipsorum exigit, ut non secus, ac ista (sc. diversitate) Civitates, earumque Formæ, & Accidentia discrepant: Jura ipsa distingvantur, & unaquæque (sc. Civitas) suis usibus constantem ubique naturalem legem per Civiles Constitutiones applicet, Mevius *ad Jus Lub. Qu. Præf. 1. n. 26.* Nam, veluti nec omnibus pedibus idem calceus: ita nec omni Universitati eadem Jura congruunt, Mev. *ibid.* Hac itaque ratione motus intermittere nequaquam potui, quin laudatissima aliorum vestigia premere apud animum mihi constituerem, qui, publicum profectuum specimen, Summorum in Utroque Jure Honorum, ac Privilegiorum Doctoralium obtinendorum gratia, edituri in eligenda disquisitioni, ac ventilationi publicæ idonea materia dulcissimæ Patriæ Statutorum rationem habendam putaverunt. Cum vero MATERIA TESTAMENTARIA præprimis in omnium oculos incurrat, seque insigni sua, quæ in vitam communem ex illius cognitione redundat, utilitate omnibus commendet; hinc in eam dilapsus sum sententiam, ut circa Jus Testandi secundum Statuta Patriæ nonnihil commentari jam animus sit. At vero, si ea omnia, quæ hac de re in medium proferri possent, hic loci congregare, ac illustrare propositum esset, tempus sane deficeret, cuius proinde inopinata brevitatis tractationis brevitatem imperat, Quamobrem iis tantum interpretandis operam hac vice daturus sum, quæ circa Ultimas morientium Voluntates Statuto Patrio compræhensa Juri Civili incognita sunt: Imo nec ea omnia, ob temporis, aliorumque Manuscriptorum requisitorum inopiam, partite nunc licet persequi, hinc potissimis saltim inter Jus Civile, & Statutarium Hamburgense,



genſe, circa ultima Defunctorum elogia, Differentiis e-  
numerandis contentus eſſe cogor. De quibus ut Lecto-  
ri Benevolo in antecellum aliquoſiter conſtare queat;  
totam hanc Diſſertatiunculam velut in compendium con-  
traham, ſingulorumque Capitum Inſcriptiones hic præ-  
mittam. Primo Capite igitur *de Teſtamentorum*  
*Diverſitate, atque Natura, ſecundum Statuta*  
*Patriæ meæ* diſpiciam. Deinde, *quid circa Te-*  
*ſtatoris Perſonam peculiare obtineat in Patria,*  
exponam. Tertio *de Bonis Hereditariis, ſeu Ma-*  
*teria Teſtamentorum* agam. Quarto *de Forma*  
*Teſtamenti, ſeu Heredis Inſtitutione* nonnulla ad-  
dam. Id vero, Lector Benevole, etiam, atque etiam a Te  
expeto, ut hiſce qualibuſcunque conatibus favere, meque  
Tibi commendatiſſimum habere velis.

CAPUT I.

De

*Teſtamentorum Diverſitate,*  
*& Natura.*

SUMMARI A.

<i>Teſtamentorum diviſio. num. 1.</i>	<i>lis Jure Civili. num. 5.</i>
<i>Teſtamenti judicialis diviſio. num. 2.</i>	<i>Jure Hamburgeniſi. n. 6. ſeqq.</i>
<i>An ad Judiciale ſolius judicis præſentia ſufficiat? n. 3.</i>	<i>Rationes, cur in Statutis Ham- burgeniſibus receptum Teſtamentum Judiciale, expo- nuntur. n. 11. ſeqq.</i>
<i>Quid jure Hamburgeniſi? n. 4.</i>	
<i>De Origine Teſtamenti Judicialis.</i>	<i>An hodie ſecundum ſolennitates.</i>
4 3	tes.


ESTER





- tes Juris Civilis Hamburgi testamentum condere non liceat? n. 19. 20.*
- Rationes forma specialis adducuntur. n. 21. seqq.*
- Interest Hamburgi, utrum Testamentum in judicio, an extra judicium condatur. n. 24.*
- Rationes diversitatis. n. 25. seqq.*
- Consensus Juris Lubecensis, & Saxonici. n. 27. seqq.*
- Differentia Juris Hamburg. a Jure Saxonico. n. 30. 31.*
- Adhibendus Secretarius Publicus. n. 32. 33.*
- An Testamentum Judiciale extra locum Judicii condi possit? n. 34. seqq.*
- Varia divisio ejusmodi Testamenti. n. 38. seqq.*
- An Mystica Heredis institutio in Testamento nuncupativo locum habeat? n. 41. seqq.*
- Senatores a Consule missi esse debent. n. 47. seq.*
- Consul Regens statuere debet, coram quibus in specie Senatoribus Testamentum consiciendum. n. 51.*
- Senatores praesentes esse debent. n. 52.*
- Subscribere, & subsignare testamentum scriptum non tenentur. n. 53.*
- Referre debent negotium in Senatu. n. 54.*
- An ipsis sine juramento credendum? n. 56. 57.*
- Secretarii Officium. n. 58.*
- An inter Senatores possit esse Filius Testatoris? n. 59.*
- An coram Judiciis inferioribus, seu subalternis testari liceat? n. 60. 61.*
- Quomodo in pagis testamentum condi debeat? n. 62.*
- De testamento, tempore pestis, vel testatore in agone constituto, condito. n. 63. seqq.*

I.

**I**  Estamenta in genere alia Publica, alia vero Privata sunt. Quorum haec in Solennia, & Minus-Solennia subdividentur: illa vero in Principi Oblata, & Judicialia abeunt. Et haec postrema, perinde, ac adoptio, manumissio, l. 2. pr. ff. de Offic. Proconsul. ac



ac emancipatio, Dn. Hopp. *ad* §.6. *Inst. quib. mod. patr. pot. a*  
 actus Voluntariæ Jurisdictionis pertinent. Cujus generis  
 quæ sunt, nec loci, nec temporis ullam solennitatem requi-  
 runt, ac adeo quocunque loco, & tempore valide expediun-  
 tur, Carpz. *Dec. 293. n. 10. & seqq.* Duplicis igitur generis Ju- 2  
 dicialia Testamenta Jure Civili frequentantur, Vel enim in  
 ipso Judicii loco, vel extra judicium confici possunt, B. Dn.  
 Mevius *Consil. 40. n. 109. & seqq.*

## II.

De posteriori Judicialium Testamentorum specie, ut-  
 pote quæ svavissimæ Patriæ Legibus paululum immutata  
 est, hoc Capite agere constitui, priusquam ad reliqua, a Ma-  
 joribus nostris itidem recepta Testamenta progrediar. Jure 3  
 Communi igitur solius Judicis præsentia ad hunc actum suf-  
 ficit, *l. 19. C. de Testam.* nec Actuario opus est, cum nusquam  
 in Jure Civili cautum sit, ut Actuarius ad Judiciale Testamen-  
 tum conficiendum adhibeatur, B. Dn. Lauterbach, *in Dissert. de*  
*Testam. Judic. §. 17.* At Jure Statutario Hamburgensi binarius 4  
 Senatorum numerus, & Secretarius Civitatis, ad validita-  
 tem negotii omnino necessarius est, Stat. Hamburg. *Part. 3.*  
*tit. 1. art. 1.* In eo igitur Prudentissimi Patriæ Legumlatores  
 a Juris Civilis dispositione faciendum putaverunt divortium,  
 ut, cum hoc, præter Judicem, alium, qui testamenti factioni  
 interesset, non requireret: illi, ob rationes, infra exponen-  
 das, Senatorum pluralitatem, & Actuarii hoc in casu neces-  
 sitatem, introduxerint.

## III.

De Origine, atque Auctore Testamentorum Judicialium 5  
 in genere, nihil equidem certi hoc loco definire pos-  
 sum, quamplurimis tamen abhinc seculis hunc Testamen-  
 ta condendi morem apud Majores in usu fuisse, ex *l. 19. C. de*  
*Testa-*



8 CAP. I. DE TESTAMENT. DIVERSIT.

*Testam.* constat. Imperatores enim, Theodosius, & Honorius, facto *in d.l.* a Testamento Judiciali, ad Testamentum, coram Principe conditum, argumento, non dispositive; sed narrative hujusce rei mentionem injiciunt, ut adeo jam ante ipsorum tempora judicialiter testandi consuetudinem receptam, ac usurpatam fuisse, facillime quilibet perspiciat.

6 An vero idem de Testamentis Judicialibus, secundum præscriptam Legibus, in Patria vigentibus, formam confectis, affirmandum sit, id facile quidem decisu foret, si Manuscriptos Statutorum Patriæ *de anno 1270. 1276. & 1497.* Codices (nec enim typis excusos unquam fuisse constat) una cum eruditissimis in illos Commentariis *Langebeccianis, Wetkenianis, Clanianis, aliorumque*, ad manus haberem, cum vero iis hoc in loco destituar, mihi que, a patria nimis remoto, nulla jam spes eos nanciscendi affulgeat: nec circa horum Testamentorum originem hoc tempore certi aliquid determinare possim.

7 Superiori tamen Seculo isthac Judicialiter extra locum Judicii de bonis honeste acquisitis, per modum Ultimæ Voluntatis disponendi, methodo Majores nostros usos fuisse, ex *Möllerianis* Manuscriptis Notis ad Stat. Hamburg. *P. 3. tit. 1. art. 1.* edoceor. Cujus forte propter singularem, quam inesse crediderunt, æquitatem adeo fuerunt amantes, ut, ne latum quidem unguem ab hac recepta ab ipsis consuetudine recedentes, Juris Civilis dispositionem, quæ pene in desuetudinem abierat, vix observandam putaverint.

8 Atque hinc procul dubio factum est, ut, cum Thomas Kopsen *anno 1555.* secundum Jus Commune, neglecta Statuti nostri Forma, Testamentum condidisset, Senatus illud tunc temporis pronuntiaverit irritum, *Not. Moll. MSS. ibid.* Quia vero in *d. Art. 1.* temporis immemorialis, cujus

9 initii nemo amplius recordari potest, vestigia deprehenduntur:



tur: *verb.* Demnach von vielen/ undencklichen Jahren/  
 durch unsere Vorfahren / zu Vermeidung allerhand  
 Nachtheil/ &c. hinc non possum non eorum amplecti, &  
 approbare sententiam, qui, hunc testationis, de qua mihi  
 sermo est, ritum non superiori demum seculo a nostris Ma-  
 joribus inventum, ac usurpatum: sed multo antiquiorem  
 esse, sibi forte persvadeant, imprimis, cum verba Articuli  
 initialia: Demnach von vielen / undencklichen Jahren/  
 &c. eine einfältige/ richtige Maas/ und Ordnung gese-  
 get/ die bishero zu jederzeit/ in Aufsrichtung der Testa-  
 menten/ von Bürgern und Einwohnern dieser Stadt/  
 steiff/ und unverändert observiret, und gehalten worden;  
 supradictum Manuscriptum Statutorum Codicem de Anno  
 1497. respicere videantur.

## IV.

Et haftenus quidem de Testamentorum Judicialium 10  
 Origine, ac Vetustate, tum in genere, tum in specie actum  
 est. Quamobrem in rationes, quibus impulsu Venerandi  
 Majores nostri judicialiter extra Judicium testandi morem  
 receperint, atque a Juris Communis placitis regressi, pecu-  
 liarem hoc casu formam excogitaverint, paucis nunc inqui-  
 rendum restat, antequam ad ipsam Testamenti naturam, at-  
 que essentiam me convertam. Prius igitur de Receptio-  
 nis ratione: postea vero de Formæ causa videndum est. Ad  
 Receptionem quod attinet, ejus non una, sed multiplex ra- II  
 tio in promptu est, videlicet: Nimia subtilitas Juris Civilis,  
 Favor Ultimarum Voluntatum, & multitudo eorum, qui A-  
 pices Juris non intelligunt. Quam multis enim difficulta-  
 tibus introductæ Jure Civili Testamentariæ solennitates  
 (quas observare difficillimum est, *l. ult. C. de Testam.*) ansam  
 præbere soleant, vel unici Baldi, Summi illius Jure-Consulti,

B

exem-



10 CAP. I. DE TESTAMENT. DIVERSIT.

exemplo satis evinci potest, utpote, qui ex sola Substitutio-  
num materia se plus, quam ex ulla alia juris parte, lucratum,  
12 ipse professus est, *Dauth. de Testam. p. m. 2. in pr.* Quamobrem  
Veterum adeo exacta fuit diligentia in Testamentis ordi-  
nandis, ut vix quisquam sine Jurisperito Testamentum scri-  
beret, *l. 39. pr. ff. de Vulg. & Pupill. Substit. l. 88. §. 17. ff. de Le-  
gat. 2. l. 9. §. 5. ff. de pæn.* Nam testamentum recte facere, res  
ardua est, ac prudentum consilio agenda. Et hinc Inter-  
pretes legum communiter scribunt, valde periculosum esse,  
in scriptis testari, maxime, si non adhibeatur Jctus, illius  
13 rei peritus. Quinimo, res ista usque adeo ardua est, ut  
etiam quandoque in ea peragenda Jurisperiti ipsi labantur,  
quemadmodum de solenni quodam Doctore ex Bartolo se  
audivisse Christoph. Portius testatur *in §. f. Inst. de Testam.*  
Quo etiam fit, ut istud negotium Jcti Prudentes non facile,  
nec temere in se accipiant, Uti de se ipso testatur Roland. a  
14 Valle *Tom. 1. Consil. 36. n. 1.* Quamvis hodie Formulariorum  
& Legulejorum alia mens sit, qui sine cunctatione, & diffi-  
dentia prudente (quæ tamen omnis consilii recti caput est,)   
calamum arripiunt, & testamenta quævis, ex præscripta aliqua  
communi formula condunt, & hac sua nimia, & abundantia  
scientia, non tantum voluntatem testantium impediunt,  
sed & totam pene Jurisprudenciam pervertunt, Ita Cothm.  
*Vol. 1. Resp. 27. n. 27. & n. 131. seqq.* Et ex eo Besold. *Part. 6. Con-  
15 sil. 302. num. 14.* Neque svavissimam Patriam litium plane  
ignaram fuisse, initialia: *d. art. 1. verba satis superque probant:*  
**Demnach. zu Vermeidung allerhand Nachtheil/ und  
weitläuffigen Disputirens, so aus den mannigfaltigen  
Solennitäten/ und Zierlichkeiten/ welche die gemeine be-  
schriebene Rechte/ in Verordnung der Testamenten/ un-  
terschiedlich erfordern/ zu vielen mahlen entstehen/ &c.**  
At



At vero, cum voluntas ultra mortem quasi mortis solatium, 16  
 Quintil. *Declam.* 308. & Testamenti factio, ad bonæ admini-  
 strationis virtutem continuandam, quantum licet, non mo-  
 do Jure Naturæ licita, sed debita, ac necessaria sit, B. Dn.  
 Placc. *Access. Jur. Nat. Lib. 1. Cap. 2. Sect. 3. §. IV. n. 45. p. 81.*  
 hinc suprema hominum judicia exitum habere, *l. 5. ff. Testam.*  
*quemadm. aper.* ac ultimas defunctorum voluntates modis  
 omnibus conservari debere, *cap. 4. caus. 13. quest. 2. æquitati,*  
 ac legibus congruit. Quæ proinde ut impleantur, nihil  
 magis curandum est, *arg. l. 4. C. de necess. serv. hered. inst.* Nam  
 impium, & crudele est, ultimam Testatoris voluntatem  
 negligere, *l. 7. C. de Testam. manumiss.* At e contrario pie a-  
 gunt, qui ultimæ defunctorum elogia, qua licet, ac fieri potest,  
 conservant, Jason, *in Auth. si qua mulier, C. de SS. Eccles.* We-  
 senb. *lib. 2. Consil. 90. n. 18.* Siquidem Testatoris voluntatem  
 prædominari, & tanquam Reginam, primum locum obti-  
 nere, præcipue spectari, ad unguem observari, totum facere,  
 non circumveniri, nec subtilitate verborum interverti de-  
 bere, constat inter omnes, ac indubitati juris est, Joh. de Ca-  
 still. *in Tr. de Conject. Ult. Volunt. cap. 1. n. 18.* Phil. Matth. *lib. 1.*  
*Consil. Marp. 20. n. 5.* Atque hac de causa peccatum mortale  
 committere, ac anathemati subjacere in jure Canonico di-  
 citur, qui, cum potest, ac specialiter ad id ipsum obligatus est,  
 ultimam defuncti Testatoris voluntatem non exsequitur,  
*cap. 6. X. de Vol. cap. 10. X. de Testam.* Imola *in d. cap.* Legatum-  
 que, illius intuitu relictum, deficiente conditione, corrui-  
 tum. Cum contra patris, & auctoris sui factum venientibus, ut  
 indignis, hæreditas legibus auferatur, nec eis liceat hære-  
 ditatem capientibus contra auctoris sui prosilire judicium,  
*cap. 13. caus. 11. quest. 1.* Interest enim hominis, *l. 42. ff. de acq.*  
*hered. simulque testantis, & hæredis honos est, ut quis potius*



12 CAP. I. DE TESTAMENT. DIVERSIT.

17 cum Testamento, quam sine eo decedat. Publicæque rei expedit, ut ultimæ defunctorum, seu in testamentis, seu in codicillis, aut alio quocunque modo expressæ voluntates, Dec. *Consil.* 456. n. 7. integræ, ac illibatæ conserventur, Bald. n. 3. ff. de *Liber. & Postb.* Dec. *Consil.* 499. n. 3. Ant. Gomez *lib.* 2. *Variar. Resolut. cap.* 4. n. 6. Ex quo est, ut nec Imperator, nec Pontifex, nedum conventiones privatorum, contrarium possint evincere, l. 10. C. de *Testam. arg.* l. 7. C. de *Prec. Imp. offer.* Bald. in l. 1. C. de *his quæ pœn. nom.* Roman. *Consil.* 170. in *fin.* Dec. *Consil.* 403. n. 12. & *Consil.* 557. n. 4. 5. Ut adeo nihil hominibus magis debeatur, quam, ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium, l. 1. C. de *SS. Eccles.* Proinde Venerandi Majores nostri, prudentissimique Patriæ Legum-latores pro eo, quo in Rempubl. tunc temporis ferebantur affectu, officio suo deesse nolentes, simplicitati eorum, qui apicum Juris ignari essent, subveniendum, ac Testatorum voluntatibus omnimodo prospiciendum esse censuerunt. Quamobrem Optimi Imperatoris Justiniani in l. 20. pr. C. de *Testam.* exemplum optime imitati, omnem impenderunt operam, ut nimiam Legum Civilium subtilitatem, (quam, testante ipso Imperatore in l. f. C. de *Testam.* in ultimis custodire voluntatibus vix possibile, vel minimum admodum difficile est,) scrupulositatem, l. 12. ff. de *inj. rupt. ac irr.* nimiamque, ac miseram Juris Civilis diligentiam, l. 88. §. 17. de *Legat. 2.* causas subvertendarum dispositionum ordinarias, pro virili amputarent. Id ipsum vero Judicialium Testamentorum, quæ solennitatum observantiam, minimum tantam, quanta alias regulariter opus est, non desiderant, receptione quam felicissime expediri potuisse, a nostris Majoribus creditum, omnino videtur probabile, propter d. art.



*art. 1. verba: Demnach &c. eine NB. Einfältige / und richtige Maaß / und Ordnung / &c. quibus Ratio Statuti exprimitur. Taceo conservandarum Familiarum studium, 18 quod judicialem Domini Resignationem, ac Translationem, & tacitam Magistratus approbationem, nec non proximorum Hæredum, omniumque, quorum interest, publice (in öffentlicher Verlassung / de qua vid. Stat. Hamb. Part. 1. tit. 1. art. 13.) citatorum, per omissionem Impugnationis declaratum consensum requirit. Hoc enim Patriæ Patribus curæ fuisse, non tantum summa utilitas, quæ in Rempublicam exinde redundat, satis evincit: sed multis etiam Statuti Patrii locis abunde probari potest. Verum de hac materiâ inferius sese offeret commoda agendi occasio. Non autem Reipubl. Patriæ Patres Judicialium Testamentorum receptione Juris Civilis solennitates penitus sustulerunt: sed 19 testamenta, secundum præscriptam Jure Communi formam confecta vigorem suum etiamnum obtinent, Patriæque Statutis tolerantur, Stat. Hamb. P. 3. tit. 1. art. 5. Ubi nova 20 resultat Quæstio; Utrum eo casu, si non omnes solennitates juris civilis exasse fuerint observatæ, ideo totum Testamentum invalidum sit? & respondetur affirmando, nam viam, quam semel quis elegit, postea quoque ambulare tenetur. Quo respiciunt verba statuti d. art. 3. So soll ihm solches auff seine Gefahr hinführo zu gelassen werden.*

Postquam igitur de rationibus hæctenus actum est, 21 quibus impulsæ Majores nostri judicialiter extra Judicium testandi modum a Jure Civili mutuati sint, eundemque adeo solennioribus testationibus multo præferendum putaverint: idcirco restat, ut similiter ea de causa dispiciam, quæ Majores nostros moverit ad peculiarem testamenti formam.



14      CAP. I. DE TESTAMENT. DIVERSIT.

22 mam, hoc casu præscribendam, & introducendam. Quod  
 igitur eam concernit, illud quidem utraque manu largior,  
 non omnium, quæ a Majoribus nostris constituta sunt, ra-  
 tionem (sc. specialem) reddi posse, *l. 20. ff. de Leg.* nec ideo  
 Legem rejiciendam, quod causa forte ignota sit. Quin potius  
 in generali utilitatis, & tranquillitatis publicæ causa, quam  
 se semper observasse testantur Legislatores Patrii *in Prefat.*  
*Stat.* tunc subsistendum existimo, cum Prudentissimi Majo-  
 res nostri, in re tam ardua, non nisi prævia multa, ac seria  
 deliberatione, ac deliberato animo quicquam suscepisse,  
 23 præsumendi sint. Hoc autem casu multiplices hominum  
 fraudes, atque insidias, quibus testamenta propter insigne,  
 quod hæredibus ab intestato alias existuris pariunt præju-  
 24 dicium, obnoxia sunt, occasionem novam excogitandi for-  
 mam Venerandis Majoribus nostris dedisse, omnino mihi  
 persvadeo. Id ipsum vero ut pateat, partim ad Senato-  
 rum pluralitatem, partim vero ad Secretarii adhibendi  
 necessitatem, nobis respiciendum est. Aliud igitur apud  
 nos, si in Judicio; aliud, si extra Judicium, v.g. domi, forte  
 corporis infirmitate impeditus testari quis velit, juris est,  
 cum in Judicio solus Judex sufficiat una cum Actuario: at  
 vero extra Judicium duo Senatores requirantur. Diversi-  
 25 tatis rationem procul dubio hanc esse existimo, quod locus  
 judicii publicus sit, adeoque testamenti factioni non parum  
 roboris, & adjumenti, propter frequentiam, & multitudinem  
 in foro versantium, agentiumque addat. Siquidem illi, ne-  
 cessitate id ipsum exigente, de ultima testatoris voluntate  
 testimonium perhibere possunt, *Carpzov. J. F. P. 3. Const. 3.*  
 26 *Def. 17. n. 7.* In testamentis autem, extra judicii locum con-  
 ditis, major occasio, atque suspicio fraudis subesse solet,  
 cui removendæ vix unica persona publica sufficere videtur,  
 Carpz.



Carpz. *ibid.* n. 5. Ut adeo ad multiplices hominum captiositates, ac falsitates, quibus ultima defunctorum elogia semper fere subjacent, evitandas, atque laudabili priscorum Romanorum *in l. 29. C. de Testam.* exemplo e Republica eliminandas, majori cautione opus sit. Exempla fraudis, aliquoties commissæ in confectione Testamenti, extant apud Moller. *lib. 1. Semestr. cap. 5. n. 7.* it. apud Dopler. *in Theatr. Poenar. p. 879. & seqq.* ubi etiam de subornatione Corporis demortui, in lecto decumbentis, &c. Conf. Casp. Questelii *Dissert. de Pulvinari, Morientibus non subtrahendo, von Abziehung der Sterbenden Haupt-Rüssen.* Quamobrem coram uno iudice, vel Assessore gesta, coram actis facta non censi, sed duos ad minimum requiri, tradit Mev. *ad Jus Lub. P. 2. tit. 1. art. 2. n. 128.* in primis, cum ea, quæ a solo Iudice, remotis Assessoribus, extra iudicii locum fiunt, non acta, sed facta putanda sint, Guid. Pap. *Dec. 616. n. 3.* Et hac ratione adducti etiam Juris Lubecensis Conditores, non nisi presentibus duobus Senatoribus, ultimam mentis testationem facere permiserunt, *P. 2. tit. 1. art. 1.* Cum quibus congruit Jus Electoralale Saxonicum, quod, præter Iudicem, unum, alterumve Scabinum, aut duos ad minimum Scabinos, aut unum Scabinum cum Actuario, si huic plenarium Jurisdictionis exercitium in specie commissum sit, ad hunc actum exigat, *Part. 3. Const. Elect. 3. Carpz. ad d. Const. Def. 17.* Quod si enim Actuarius jurisdictione nulla polleat, coram ipso, & unico Scabino tantum Testamentum extra iudicii locum valide haud potest confici, *Carpz. ad d. Const. 3. Def. 18.* Id ipsum vero suavissimæ Patriæ Legibus aliter constitutum est, utpote quæ, ad testamentorum validitatem, præter duos numero Senatores, Secretarium quoque desiderant, **Derselbe für zwey Rath's-Personnen/ welche/ neben einem des Rath's**

15





- Raths-Secretarien, auff sein Ersuchen/ der Worthalten-  
de Bürgermeister zu ihn schicken wird / &c.** Quid igitur  
31 Venerandos Patriæ Antistites, ut a Juris Civilis, Saxonici, ac  
Lubecensis dispositione secederent, præcipue impulerit,  
hoc loco explicandum est. At vero, ut opinor, in propatu-  
lo est, dubioque penitus caret, eandem, quæ pluralitatem  
Senatorum Majoribus nostris commendavit, rationem hoc  
etiam casu locum habere. Videlicet: Favor conservanda-  
rum ultimarum voluntatum, studiumque evitandi fraudes.  
32 Adhæc ultima defuncti voluntas Actis Publicis inferenda  
est, ut publica auctoritate sustineatur, *Carpz. 7. F. P. 3. C. 3. D. 28.*  
Ne igitur Secretario Senatorum depositioni cœcam fidem  
habere opus sit; sed de supremo Testatoris iudicio, quod,  
quia in eo de successione in omnia bona agitur, nosse, maxi-  
me interest, & ipsi sufficienter constet; hinc forte Veneran-  
di Majores Nostri conducere publice arbitrati sunt, ut etiam  
Secretarius Civitatis Publicus condendis ultimis elogiis re-  
33 gulariter semper adesset. Unde & Jure Culmensi, præter  
duos Scabinos, ad Testamenti validitatem Actuarium insu-  
per requiri, tradit Dn. Hopp. *ad §. 2. Inst. de Testam. Ord.* Quod  
ipsum & Jure Wurtembergico obtinet, quaternarium Decu-  
rionum numerum, & Actuarium publicum exigente, **Land-  
Decht Part. 3. tit. 3. §. Erstlich/ & §. Da aber &c.**

## VI.

- 34 De Origine pariter, ac Ratione Dispositionis Statutariæ  
circa Testamenta Judicialia, extra Judiciii locum facienda,  
cum hætenus satis prolixè actum sit: ad ipsam eorum Na-  
turam nunc properandum. Id vero imprimis hoc loco discu-  
tiendum est, cum Statuti Patrii dispositio ad Judicialia Te-  
stamenta tantum pertineat, an coram Actis testatus censer-  
possit, qui extra locum judiciii, intra privatos parietes, here-  
dis



dis institutionem celebrant? Negativam tuetur sententiam 35  
 Herm. Vultejus, tum demum valere Testamentum, si fiat  
 in loco iudicii, asserens, *Carpz. J.F. Part. 3. Const. 3. Def. 16. n. 2.*  
 At vero apud Acta Testamentum fieri dicitur, non solum, si 36  
 quis in curiam veniens ibi coram iudicio voluntatem ulti-  
 mam ore tenus declaret, aut scriptis consignatam ad id, ut  
 actis insertum scriniis publicis custodiatur, offerat: verum  
 etiam, cum magistratus, aut iudex, una cum actuario publico,  
 in ægrotantis ædes se confert, ibique ultimam morientis te-  
 stationem excipit, Actis deinde Publicis inserendam, *Manz.*  
*de Testam. Val. & Inval. Tit. 1. n. 30.* Nihil enim interest, ul- 37  
 timum Testatoris elogium an Secretarius Civitatis in ipso  
 statim iudicio, an calamo in ædibus defuncti exceptam, post  
 breve temporis intervallum, Protocollo Iudicii inserat. Cum  
 ipsa testamenti inscriptio, atque ad acta relatio: non tempus,  
 & modus inserendi publicam fidem faciat; atque ad actus  
 hujusce ultimi validitatem aliquid momenti afferat.

VII.

Admittit hoc judicialiter extra Iudicium testandi ge- 38  
 nus triplicem potissimum divisionem. Primo enim in Te-  
 stamentum Scriptum, & Nuncupativum dispescitur, testan-  
 tibus id ipsum *Stat. Hamburg. Part. 3. tit. 1. art. 1.* verbis: **So**  
**ordnen/und wollen wir/das es bey solcher uhralten/übli-**  
**chen Form/und heilsamer Verordnung hinführo gelas-**  
**sen werde/also/und dergestalt/das/ wan jemand in die-**  
**ser Stadt sein Testament/ oder letzten Willen aufzurich-**  
**ten/und zu verordnen begehret/ derselbe ꝛ. denselben sei-**  
**nen letzten Willen entweder in Schrifften verfasset/ oder**  
**aber mündlich/ bey gesunden Verstande anzeigen/ und**  
**vermelden möge/ꝛ.** Etenim perinde est, verbis, an literis  
 declaretur ultima Testatoris voluntas. Secundo aliud est  
 C Testa-



17 CAP. I. DE TESTAMENT. DIVERSIT.

Testamentum Primum, aliud Secundum. Nam etiam Substitutionem, tam vulgarem, quam pupillarem, extra locum Judicii coram duobus Senatoribus, & Secretario fieri posse, Stat. Hamburg. *Part. 1. Tit. 1. art. 35.* satis superque probat: Nachdem sich auch oftmahlen zu trägt / daß der eingesetzte Erbe für den Testatore verstirbet / oder die Erbschafft nicht annehmen will / oder kan; So ist einer jeglichen testirenden Person erlaubt / und zugelassen / seinen eingesetzten Erben ein / od er mehr Nach-Erben zu setzen / und zu verordnen / doch auff gewisse Maasse / und Fälle / wie solches die allgemeine beschriebene Käyserliche Rechte ferner ausweisen / und verordnen. Quæ ultima Articuli hujus verba non necessitatem observandi Jus Civile in substituendo inferunt: sed id tantummodo innuunt, non dari alias etiam Jure Patriæ Statutario Substitutionum species, quam quæ Jure Communi inventæ sunt, ac introductæ. Ut adeo propter communem substitutionum, & testamentorum naturam etiam hic articulus de judicialiter extrajudicium faciendis substitutionibus merito explicandus sit, licet Juris Civilis observantia hoc casu nemini prohibita, sed Stat. Hamb. *Part. 3. tit. 1. art. 3.* æque ac in testamentis unicuique suo periculo permessa sit. Tertio distingui etiam potest in Testamentum Explicitum, & Implicitum, seu Mysticum. Quorum illud claram, atque perspicuam, tum verbalem, tum literalem, aut nutu factam ultimæ voluntatis declarationem continet: hoc vero per relationem ad schedulam, scripturamve aliam, in qua nomen hæredis expressum est, recte expediri potest. Et hæc implicita hæredis institutio in scripto, & nuncupativo testamento locum omnino habet. Quod ultimum tamen magnopere inter Doctores controversitur, aliis negativam tuentibus, aliis vero defendentibus sententiam



tiam affirmativam. In priorum classem referendi sunt Schurff. *Cent. 2. Consil. 45.* Perez. *in C. Tit. de Testam. n. 12.* Wesenb. *Consil. 29. n. 5.* Eckholt. *ad tit. ff. qui testam. fac. n. 11. ibique* Magnif. Dn. Svendendorffer, Pruckman. *Vol. 2. Consil. 1. n. 138.* Befold. *Consil. 203.* Posteriori Sententiæ patrocinantur Brunnem. *ad Auth. Hoc inter liberos, C. de Testam. n. 7. & ad l. 77. ff. de H. J.* Illustr. Dn. Strykius *in Not. ad Lauterb. Tit. qui testament. fac. verb. valet.* Dn. Hoppius *ad §. f. Inst. de Testam. Ord. in Us. Modern.* Negantium rationes in eo potissimum consistere videntur, quod in nuncupativo testamento testator viva voce, & palam hæredem nuncupare, & designare debeat, *l. 21. pr. ff. qui testam. fac. poss. ita, ut ab omnibus exaudiri possit, d. l. 21. ff. & l. 25. ff. d. t. l. 21. 29. C. eod. Ordin. Notar. Imp. Maximil. de anno 1512. Tit. Von Testamenten, §. Aber die Form 2c.* Affirmantes huic innituntur fundamento, quod nulla sufficiens ratio dari possit, cur nuncupativa & scripta testamenta æquali jure gaudere non debeant, cum legis dispositio deficiat, quæ diversum jus utrique casui constituat. Præterea hæres nuncupatus videtur satis perspicue, si per relationem ad aliud certo demonstratur, voluntate testatoris verbis prævalitura, *l. 15. C. de Testam.* Et hæ affirmantium rationes cum contrariæ sententiæ probationes simul elidant: non possum non posteriori opinioni accedere, & mysticæ hæredum institutioni in nuncupativis testamentis locum tribuere. Quod ipsum moribus etiam obtinere testatur Wesenb. *Part. 1. Consil. 29. n. 21.* Conf. Carpzov. *Part. 3. Const. 3. Def. 28.* ubi pro validitate hujus testamenti ab Argenteratensibus pronunciatum meminit. Idem etiam Wittebergenses respondisse, ex Berlichio refert Lauterbach. *in Dissert. de Testam. Judic. §. 11.* Jure quoque Würtembergico, Lauterb. *ibid.* & Lubecensi, *Part. 2. Tit. 1. Art. 2.* in nuncupativis testamentis per relationem



19 CAP. I. DE TESTAMENT. DIVERSIT.

nem ad schedulam instituendi hæredem licentia concessa est, & approbata. Imo & Jure Naturali cuilibet mortali-um hæc mentis suæ ultima testatio permissa est, cum multis de causis ad nomen hæredis non exprimendum impelli testator potuit. Sufficit igitur quomodocunque, sufficienter tamen, de eo, qui hæres institutus est, ex testamento constare,

VIII.

46 Hactenus de Origine, Ratione, & Divisione Testamenti actum est. Consequens igitur est, ut eos etiam considerare aggrediar, coram quibus ex Legum Patriæ præscripto Testamentum regulariter condendum est. Duos autem Senatores, & unum Secretarium Statuta Patriæ exigunt ad testamenti confectionem, Stat. Hamburg. *part. 3. tit. 1. art. 1.* De quorum electione, numero, differentia, potestate, atque multiplici, quod gerunt, officio, plurima generaliter in medium proferri possent, si temporis, ac instituti ratio illud nunc mihi permetteret. Hinc ad requisita, & officium tam Senatorum, quam Secretarii in specie, deveniendum. Primo vero ea attributa perlustrabimus, quæ Senatoribus, & Secretario communia sunt, postea illis perpendendis operam daturi, quæ Senatoribus, aut Secretario tantum, non omnibus.

47 vero competunt. Debent igitur Senatores, & Secretarius i. missi esse a Consule Regente, ac implorato, ob verba *d. art. 1.* So ordnen/und wollen wir/das/wenn jemand in dieser Stadt sein Testament oder letzten Willen aufzurichten/ und zu verordnen begehret/ derselbe für zwey Raths Persohnen/ welche neben einem des Raths-Secretarien, auf sein Ersuchen/ und Begehren/der Wort-haltende Bürgermeister zu ihr schicken wird/ &c. Solæ enim Judicialis Auctoritas defectum requisitorum solennium  
in



in Judiciali Testamento supplet. Hinc fieri non potest, nec factum valet testamentum, coram duobus Senatoribus, ac Secretario, privata saltem auctoritate, ac forte fortuito presentibus confectum. Sed, cum publica auctoritate sola subsistat judicialiter conditum supremæ voluntatis elogium: hinc a magistratu, aut ab eo, qui magistratum representat, ut Consul Regens, **der Wort-haltende Bürgermeister** / ipsis injungendum est, ut testamenti factioni intersint, & sui officii memores, quæ partes ipsorum, expediant, *Carpzov. Part. 3. Const. 3. Def. 20. n. 3. 4.* Quamvis enim negari non possit, 48 multorum locorum statutis introductam testamenti illius validitatem, quod coram Actuario, & Decurionibus, ad instantiam Testatoris tantum, non Consulibus Regentibus, conficitur. Jure tamen Patrio Statutario res aliter se habet. Nam quoties Senator, aliave publica persona, non ex publica auctoritate, seu jure officii publici: sed privati instar negotio alicui intervenit, publicam fidem ejus negotium, aut dictum non meretur. Quod si igitur Senatores sua sponte, vel a partibus saltem rogati, negotiis testamentisque interfuerint, eorum assertiones actorum publicorum fidem non habebunt, Nec, quod geritur, adeo firmum, ac validum est, ac si coram actis in ipso judicio factum fuisset. Atque hinc tam Senatores, quam Secretarium, speciali Mandato ad hunc maximi præjudicii actum instructos esse convenit, ut testamentum illud, quod coram ipsis condendum est, auctoritate publica sustineri queat. Neque Jure Nostro 49 Statutario sufficit, Consulem Regentem proprio motu deputatos Senatus, qui testamenti factioni interesse debeant, mittere, sed, quia Judex non nisi imploratus subvenit, etiam in causis, ad voluntariam Jurisdictionem pertinentibus, hinc nobile ipsius officium implorandum est. In primis, cum

C. 3. Testa-



12      CAP. I. DE TESTAMENT. DIVERSIT.

Testatori liberum sit, utrum secundum Patriæ nostræ Statuta; an vero secundum Jus Commune testamentum condere velit. Hinc enim a parte Testatoris declaratione voluntatis, de observanda Statutis Patriæ definita forma, opus est, utpote, quæ deficiente, publica Senatus auctoritas nonnunquam redderetur irrita. Quod ipsum vero cum valde odiosum sit, merito abominandum est, ac omnibus modis, ne fiat, præcavendum. Sed quæritur: An Magistratus, aut Consul Regens, in determinandis Testibus, Testatoris voluntatem, an propriam sequi teneatur? Hac vero de re cum in Statutis Patriæ nihil expresse decisum sit, videtur quidem, prius affirmari posse, cum perinde sit, hos, an illos Senatores, & Secretarium testamentis condendis testator adhibeat. Nam quilibet eorum, modo a Magistratu, aut Consule Regente, ac Implorato missus sit, publicam testamento auctoritatem præstat. Quia vero hac ratione libertas ferendi sententiam, quæ libera Magistratui competit, nec ei a partibus præscribenda est, restringeretur: posterius tantum, negato priori, statuendum est. Porro ex parte Senatorum, & Secretarii requiritur ipsorum præsentia. Semper enim, atque in omni Testamento Præsentia Testatoris apud eos exigitur, qui testes sunt, aut testium vicem subeunt. Atque hoc adeo verum est, ut nec in Judiciali Testamento, in ipso Judicio condito, quod tamen nullas plane solennitates desiderat, præsentia testatoris deficere queat, Carpz. *J.F. Part. 3. Const. 3. Def. 23.* Hæc vero in eo posita est, ut illi, qui vel tanquam testes, vel tanquam personæ publicæ iuterfunt, Testatorem videant, ac ultimam ejus voluntatem audiant, *l. 9. 21. C. de Testam.* Quid autem Juris, si Testamentum judicialiter extra judicium in scriptis fiat? An Senatores, ac Secretarius, perinde, ac a Testibus in testamentis privatis fieri consuevit, hanc mentis ultimam testationem subscribere, ac sub-



subsignare tenentur? Affirmativam nonnulli tuentur sententiam, Conf. Vultej. *Consil. Marburg. 34. n. 40.* At vero, cum hac nullibi, neque in Jure Communi, neque Statutario Patriæ approbata, ac usu recepta sit, Berlich. *Part. 3. Concl. 4. n. 19.* hinc negative decidendam quæstionem existimo, præsertim, cum cesset ratio, quæ subscribendi ac subsignandi necessitatem imperat. Videlicet: majoris solennitatis, ac facilius probationis cura.

IX.

Hactenus de Requisitis, tam Senatoribus, quam Secretario communibus. Videndum igitur nunc de iis, 54  
quæ Senatoribus, aut Secretario propria sunt. Id igitur imprimis Senatorum, condito Testamento, officium est, ut in pleno Senatu de Testamenti validitate, ac observata Statuti forma testimonium perhibeant: **Und wann es daselbst (sc. im Rath) durch die gewesene beyde Raths-Persohnen bezeuget/** *ic. Part. 3. tit. 1. art. 1.* Hac enim neglecta, nec omni ex parte observata, Testamentum corrumpitur, neque legata, ac fidei commissa conservantur. Ut itaque 55  
Senatores, ab Amplissimo Senatu deputati, de observata Statuti forma testari possint, opus est, in ipsa Testamenti confectione ut sedulo ad momenta singula attendant. Imprimis vero officii illius, quod ipsis incumbet, ratio exiget, ut sedulo inquirent, an is, qui ultimum judicium declaraturus est, testamenti factioe gaudeat, nec ne. Cum enim in omni actu requiratur agentis habilitas, *arg. l. 1. §. 9. ff. de acq. vel omitt. hered.* nec actus possit perfici, nisi personæ sint habiles: hinc in omni Testamento primo omnium considerandum est, an Testator testamentum condere potuerit. V. gr. an mentis compos tempore conditi testamenti fuerit, obtextum in *Part. 3. tit. 1. art. 1.* **sagt er denn darauff bey guter Vernunft (dessen dann die Raths-Persohnen fleißig acht**

151



56 **acht haben sollen) verständiglich Ja/ro.** Quid vero juris? An Senatores de testamento rite ac legitime condito jurato tenentur deponere, an dictis ipsorum plena fides habenda est, etiamsi non juraverint? Quia testi non creditur, nisi jurato, ergo videtur prius affirmandum esse, *l. 9. C. de testib.* At cum Senatores non, ut testes privati, sed ut publici, vi officii adhibeantur, hinc Jure Patriæ statutario secus est, quia judici in his, quæ coram eo gesta sunt, sine juramento creditur. Hoc enim sub officii initium præstitum sufficere, docet Coler. *Part. 1. Dec. 196. n. 3.* Quod ipsum verba: **Bei seinem geleisteten Rechts-Eide/innuunt, Part. 3. tit. 1. art. 1.** Aliud est, 57 si, alterutro defuncto, alteruter tantum in vivis sit, tum enim juratæ depositioni locus est. Nihil vero amplius isthæc jurata assertio evincit, quam, alterum Senatorem, cum testamentum conderetur, una cum ipso præsentem fuisse, **daß er mit demselben an/ufi über solch Testament gewesen/ St. Hamb. d. art.** Ad reliqua Testamenti capita juramentum non extendendum est; cum particulariter posita particulariter etiam intelligenda sint, nec de casu ad casum, nisi rationis identitas decisionis identitatem postulet, in dubio valeat consequentia.

58 **mi** Quod ad Secretarium attinet, ei quadruplex incumbit necessitas. Videlicet: Testamentum, si ore tenus declaretur voluntas, calamo excipiendi, 2. prælegendi, 3. Testatorem, qui testamentum pro suo agnoscere tenetur, *l. 21. C. de Testam.* super ejus tenore interrogandi, 4. ad acta referendi, ut exinde plenam fidem sortiat: **Welches dan / da es mündlich beschicht / von den beywesenden Secretario fleißig auffgezeichnet / oder / da es in Schrifften verfasset / für dem Testatore, und bey den Rechts-Personen alsbald öffentlich verlesen / und darauf Er / der Testator, befragt werden soll / ob solches / wie**



wie verlesen/ sein ernstlicher Wille/und Meinung sey ic.  
 Idque non tantum Jure Patriæ: sed & Civili obtinet. Nam,  
 licet secundum hujus dispositionem in testamenti factione  
 Actuarius non opus sit: a Judice tamen hæc, quæ Actuarius fa-  
 cienda incumbabant, omnia expedienda sunt, utpote qui  
 hoc casu Actuarii partes suppleturus est. Conf. B.Dn. Lau-  
 terb. *Dissert. de Testam. Judic. §. 22. 23. & seqq.*

## IX.

De Senatorum, & Secretarii attributis hætenus a no- 59  
 bis actum est, Hinc ad nonnullas Quæstiones vicinas de-  
 properandum. Quæritur ergo: An Hæres, ejusve filius,  
 aut pater, durante patria potestate, ob Senatoriam Dignita-  
 tem, aut munus, quod gerit, Secretarii, Testis in hoc testa-  
 mento esse queat? Videtur affirmandum esse, ob publicam,  
 quæ omnem fraudis suspicionem adimit, auctoritatem *L. fi-  
 liusfam. ff. de his, qui sui, vel alien. jur.* Cum vero hac de re  
 in Patriis Satutis nihil certi definitum sit, ad Jus Civile meri-  
 to recurrendum est. Hoc vero si observaveris, quæstionem  
 propositam negandam esse existimo. Cum, propter uni-  
 tatis fictionem, neque hæres scriptus, neque is, qui in pote-  
 state ejus est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate:  
 neque fratres, qui in ejusdem patris potestate sunt, testes ad-  
 hiberi possint, quia hoc totum negotium, quod agitur te-  
 stamenti ordinandi gratia, creditur hodie inter hæredem, &  
 testatorem agi, adeoque Testis eadem persona, ut cum testa-  
 tore; ita cum hærede esse non debet, §. 10. *Inst. de Testam.*  
*Ord. B.Dn. Placc. ad d. §.* Sed an etiam coram Judiciis sub-60  
 alternis apud Nos, ut Militari, dem Krieges-Recht/Inferio-  
 ri, dem Nieder-Bericht/ac Nautico, der Admiralität/testari  
 licet? Dubiam reddunt decisionem *Stat. Hamburg. Part. 3.*  
*tit. 1. art. 1.* verba, quæ Senatores, & Secretarium, quorum illi  
 D Am-



Amplissimi Senatus membra sunt, exigunt. Cum vero hoc Testamenti genus sola auctoritate publica, qua etiam Judicia Subalterna pollent, subsistat, etiam Jure Nostro Statutario; eoque nihil certi hoc casu definiatur. Jure Civili autem propter generalitatem *l. 19. C. de Testam.* utrum coram inferiore, an coram superiore judice Testamentum condatur, nihil interfit: hinc affirmando respondendum censeo, Nec Magistratus municipales excludendi sunt, e. gr. apud Nos **zu Bergdorff**. Quamvis enim illis, respective loquendo, exigua Jurisdictio competat, *l. 26. 28. ff. ad municipal. l. 12. ff. de Jurisd.* Actorum tamen conficiendorum potestate gaudent, *l. 2. C. de Magistrat. Municip.* Adeoque Testamentum, coram illis conditum, validum pronuntiandum. An vero Actuarius hoc casu etiam necessarius sit, id ex Statutis illius loci, & moribus receptis, dijudicandum est. Quid vero in Pagis obtinet, ubi Senatorum, ac Secretarii, Notarii que Publici nulla datur copia? Jus Civile observandum puto, & coram quinque Testibus condendum ultimum elogium. Uti & extra Patriæ Territorium mores, ac consuetudines illius loci, in quo quis de bonis suis dispositurus est, sequi oportet, Statuta enim Patriæ extra territorium obligandi virtutem non habent. Præter hoc Testamenti, quod hactenus consideratum est, genus, duo adhuc alii Testandi Modi in subsidium a prudentissimis Legislatoribus nostris exco-  
 gitati sunt. Nam potest accidere, ut tempore Pestis, aut Testatore ultimum jam spiritum trahente, ac in agone constituto, Senatorum, ac Secretarii copia haberi nequeat. Ac propterea cautum est, ut Testamentum, coram Secretario, publico que Judicii Actuario, ac Civibus duobus Possessionatis conditum, eadem virtute polleat, quam, si coram Actis conditum fuisset. Quin imo, si Actuarius quoque deficiat,  
 Nota-



Notarium Cæsareum Publicum in locum ipsius substituere  
 permissum est, ob Textum in *Stat. Hamburg. Part. 3. tit. 1. art. 1.*  
 Wosern aber man der Rahts-Herren/ zu Aufrichtung  
 eines Testaments, nicht mächtig werden könnte/ als nem-  
 lichen in gefährlichen Sterbens-Leufften/ oder anderer  
 Ursach/ und Verhinderung wegen: So mag dasselbige/  
 in Gegenwartigkeit zweyer Erbgeseffenen Bürger/ und  
 des Secretarii, oder/ an statt desselben/ wo man den anch  
 nicht haben möchte/ eines beglaubten offenbahren No-  
 tarii, an Erlaubniß des Wort-haltenden Bürgermei-  
 sters beschehen/ auf Maaß/ und Form/ wie nechst zuvor  
 von Rahts-Persohnen geordnet. *Requirat Statutum* 65  
*Patriæ duos Cives Possessionatos, i. e. bona immobilia pos-*  
*sidentes, Erbgeseffene Bürger.* Inter hæc vero referen-  
 da sunt prædia, ædificia, & annui redditus, *Gail. lib. 2. obs. 10. n. 1.*  
*Et c.* Eodem loco habendæ sunt Actiones, quæ ad immobi-  
 lia competunt, *Gail. lib. 2. obs. 11. n. 10.* B. Dn. Lauterbach. *Diss.*  
*ad l. Sciendum. ff. qui satisd. cog.* Nec non pretiosa Mobilia,  
*l. 22. C. de administr. tutor.* modo tamen facile occultari, aut  
 amoveri nequeant, Dn. Lauterbach. *loc. cit.* Quorsum per-  
 tinet locuples, ac copiosa Bibliotheca. Idem dicendum est,  
 si mercator plures merces in loco publice venales habeat,  
 Damhouder. *in Prax. Civil. cap. 99. n. 9.* Propterea vero Sta- 66  
 tuto Patriæ introductum existimo, ut duobus civibus posses-  
 sionatis opus sit, quia ipsorum testimonio majorem fidem  
 haberi posse, probabile est, nec falsum ab ipsis commissum iri  
 metuendum. Cum enim aliud, quam quod rei veritas pa-  
 titur, de actu illo, cui interfuerunt, testati sunt, ac damnum  
 inde datum sit: Actione pulsari poterunt, quæ, siquidem ex  
 bonis eorum refarcitio fieri potest, non inanis erit. At  
 vero, si falsa deposuerint, & bonis destituti sint, satisfactio



sperari nequit. Ut itaque prudentissimi Majores nostri huic malo obviam irent, ab ipsis constitutum est, non nisi coram Civibus Possessionatis in subsidium ultimam mentis testationem faciendam esse. In qua, tanquam minus solenni Testamento, etiam Mulieres Testes esse possunt, Carpz. P.3.C.4.D.10. cum genus masculinum in Jure Nostro regulariter etiam comprehendat fœmininum, Conf. Möller. lib. 4. Semestr. Cap. 8.

## CAPUT II.

De

## Testatore.

## SUMMARI A.

*Divisio Capitis. num. 1.*

*Minores sine consensu Curatoris testari possunt. n. 2. seqq.*

*Item legare, fideicommittere, & mortis causa donare, n. 5.*

*Quid jure Hamburgensi? n. 6. 7.*

*Ejus rationes exponuntur. n. 8. seqq.*

*De venia ætatis. n. 11. seqq.*

*An Hamburgi locum habeat? n. 17. 18.*

*Quid Juris, si extra Territorium Hamburgense Testamentum condatur? n. 19. 20.*

*Quid circa Mulierem Testatricem observandum? n. 21. seqq.*

*De justitia Statuti Hamburgensis disputatur. n. 24. seqq.*

*Quid Juris in Muliere Mercatrice? n. 28. seqq.*

I.

**H**oc Capite duo tractanda sunt, Primo enim de Testamentis Puberum: postea vero de Testamentis Mulierum dicendum est. Quod igitur Puberes concernit, illi secundum Juris Communis dispositionem valide testantur, etiamsi adhuc minores sint,



DE TESTATORE.

29

sint, & Curatorem habeant, Nec Curatoris sui consensu ad  
 id, ut Testamentum ipsorum subsistat, iudigent, *l. 77. §. 14. ff. de Legat. 2. l. 20. §. 1. ff. de Liberat. leg. l. 5. ff. qui testam. fac. l. 1. C. eod.* Licet enim minor, curatorem habens, absque illius  
 consensu, & approbatione nihil alienare possit, *arg. §. 5. Inst. quib. alien. licet.* B. Dn. Placc. *ad d. §. nec contractum celebra- re, ita, ut, quicquid negotii ab ipso gestum fuerit, id ipso jure nullum, atque invalidum sit, l. 3. C. de in integr. rest.* ad testa-  
 menti tamen factionem id neutiquam extendendum est, *Wesenb. ad tit. ff. qui testam. fac. num. fin.* cum Jure Civili  
 ab actibus inter vivos ad actus ultimæ voluntatis non valeat  
 consequentia. Ex quo est, ut verba, *contraxerunt, & gesserunt*, quæ actus inter vivos denotant, ad jus testandi non per-  
 tineant, *l. 19. l. 20. ff. de Verb. Signif.* Atque hinc etiam pu-  
 bertatem adepti legare, fideicommittere, codicillari, & mor-  
 tis causa donare possunt. Cum ei, cui testamenti factio  
 competit, & hæc tribuenda esse censendum sit, *Conf. Carpz. J. F. Part. 3. Const. 1. Def. 22.* At Jure Patriæ Statutario aliter  
 constitutum est. Id enim Pubertati in Masculis 4. annos  
 addidit, & decimum octavum ætatis annum impletum desi-  
 derat, ut quis sine Curatore, per modum ultimæ volunta-  
 tis, de bonis suis valide possit disponere: **Ferner mögen  
 auch kein Knabe unter 18. Jahren/ ic. ohne Vormund  
 in ihren Testament, und letzten Willen etwas vergeben/**  
*Stat. Hamburg. Part. 3. tit. 1. art. 13.* Atque hinc Mares apud  
 nos, usque dum majorenes facti sunt, tam in actibus inter  
 vivos, quam ultimæ voluntatis, Curatore opus habent, Ma-  
 jorennitas enim, finito ætatis anno decimo octavo, incipit,  
*Statut. Hamburg. Part. 3. tit. 6. art. 21.*

3

4

5

6

7

II.

Ad rationem vero, quæ Majores nostros ad divortium

8

D 3

a Ju.

BRUNNEN





- a Jure Civili faciendum, & imponendam minoribus adhibendi in testamentorum confectioe curatorum consensus necessitatem impulit, quod attinet, isthæc videtur potissimum in eo esse posita. Scilicet, æquum judicaverunt Prudentissimi Majores nostri, ut ii, qui ob judicii infirmitatem, nec de una aliqua re inter vivos disponere possunt, pariter nec de omnibus suis facultatibus, ac universo patrimonio, una perpetua dispositione statuendi potestatem haberent.
- 9 Adhæc in ultimis voluntatibus rationis rectæ moderamine æque nobis opus est, ac in iis negotiis, quæ inter vivos celebrantur, Nec minima exigitur prudentia, ad ultima sua elogia, rite, recte, ac bene condenda. B. Dn. Blockius in *Different. Jur. Civil. & Hamb. §. 78.* Deinde conservationi familiarum, qua nihil reipublicæ utilius est, non parum conducit necessitas Curatoris ad testamenta minorennium; Cum hac ratione temerariæ, ac inconsultæ bonorum omnium extra familiam alienationi occurritur. Quæ haud raro, etiam inter conjunctissimos, maximas gignit inimicitias, judicia implet litibus, & in familiarum præjudicium bona ac tota patrimonia transfert in extraneos, sæpe indignos, ac prodigos, idque non sine magno ipsius reipublicæ damno, cujus nimirum interest, ne quis re sua male utatur, aut bona sua indignis aut prodigis concedat, vid. B. Dn. Block. *loc. cit.*
- 10 Atque hinc, teste eloquentissimo Cicerone, *lib. 1. de Offic.* injuriosi in propinquos existunt, qui, quas copias his, ad conservandam familiæ dignitatem atque splendorem, suppeditari, atque relinqui æquius erat, eas in alienos transferunt. Ut adeo Prudentissimi Majores Nostri, naturali æquitate, ac familiarum dignitate, quam sartam, tectam, ac illibatam conservare plurimum reipublicæ interest, permoti, a Jure Communi secesserint, & Curatoris consensum ad testamenti, a  
pube-



pubere, sed minorene, ordinati validitatem necessarium esse judicaverint.

## III.

Quid autem, ætatis venia impetrata, hoc casu respon- II  
dendum est? An tunc etiamnum ad testamenti subsisten-  
tiam Curatorum assensu opus est? Affirmandum videtur,  
Vid. D. Joh. Georg. Nicolai *Resolut.* 24. n. 66. At vero nega- 12  
tive decidendam Quæstionem existimo, Minor enim, per  
legitimæ ætatis indulgentiam, pro Majore censendus est.  
Quia ætatis venia, a Principe impetrata, regulariter tantum  
potest, quantum ætas majorennis, *l. fin. pr. C. de spons. l. 10. C.*  
*de Appellat.* Ant. Gomez *lib. 2. Var. Resolut. cap. 14. n. 12.* Atque  
hinc, postquam ætatis veniam in omnibus negotiis quis ad- 13  
eptus est, sine omni solennitate contrahere, ac fidejubere, &  
agere potest, perinde, ac si perfectæ ætatis naturaliter fuisset,  
*l. 2. C. de his, qui ven. act.* Modo tamen ad omnes actus, ac 14  
simpliciter venia a Principe concessa sit, tunc enim ad omnia  
impetrans censetur factus esse habilis, Secus est, si ad certum  
alienationis, aut obligationis actum tantum majorennis de-  
claratus est. Tunc enim pro isto saltem actu, non ultra ve-  
ro, perfectæ ætatis quis dicitur, *l. 2. C. quand. decr. op. non est.*  
Cum autem venia sequentem in modum indulta est, ut per  
omnia, sine ulla exceptione, pro Majori quis habeatur: tum  
venia ætatis eundem habet effectum Juris, quo pollet Sta-  
tutum, disponens de minori meta ætatis, *Mev. ad Jus Lubec.*  
*lib. 1. tit. 2. art. 7. n. 24.* Hinc etiam a Doctoribus inter modos  
finiendi tutelam, & curatelam relata est, *Myler. Ætolog. Ord.*  
*Imperial. cap. 8. n. 1.* B. Dn. Placc. *ad §. 6. Inst. de Curator. libe-*  
*ramque rerum suarum administrationem tribuit, adeoque*  
*testamenti etiam factionem, sola tamen bonorum immo- 15*  
*bilium alienatio excipitur, l. 3. C. de his, qui ven. B. Dn. Placc.*  
*loc.*



*loc.cit.* quam major gratiose factus peragere nequit, si decretum Magistratus, quod ipsis perinde, ac Curatoribus, necessarium est, deficiat. Nec igitur bona immobilia hypothecæ supponete, *l. 2. §. 1. C. eod.* aut actionem in iudicium deducere, *l. 17. §. 2. ff. de jurej.* neque in feudum rem offerre, ipsis permissum est. Cum hac ratione ad alienationem appropinquatio fit. At vero, quicquid in termino prohibitum est, id etiam in via prohibitum esse, tam notissimi juris  
 16 est, ut probatione non indigeat. Ac propterea, si bona immobilia in hæreditate reperiantur, auctoritas, atque decretum Magistratus ad hunc testationis actum simpliciter necessarium est. Curatoris autem ad hoc negotium consensus non exigitur. Cum is, cui venia indulta est, jamdum perfectæ ætatis, & confirmati animi habeatur. Ut enim quis ætatis veniam impetrare queat, requiritur, ut morum honestatem præ se ferat, & grandævus consilio sit. Hoc enim casu tantum, si minor audaci animo, annorum beneficia contemnendo, administrationem bonorum suorum sibi ipsi sumere velit, Principem adire, ætatis veniam petere, ac voti compos fieri potest, *l. 3. C. de his, qui ven. Vitriar. Instit. Jur. Publ. lib. 3. tit. 2. §. 22.*

## IV.

17 De eo vero non immerito dubitatur, an apud Nos Hamburgi ætatis veniæ concessio locum sibi vendicet? Negandum videtur, quia, ut quis veniam ætatis impetrare possit, vicesimum in masculis, & decimus octavus annus in foeminis, completus sit, Jure Civili necesse est, *l. 2. C. eod.* At Jure Statutario, simul atque octodecim annos quis natus, ætatis venia amplius non indiget, ob jam adeptam majorennitatem. Ut adeo, cum post vicesimum annum in patria nemo amplius minorennis sit, nec venia ætatis dari queat, At vero moribus aliud



DE TESTATORE.

33

aliud jam introductum est. Sicut enim olim apud Romanos certus annorum numerus ad veniam ætatis impetrandam non requirebarur, sed Scipio Africanus sat annorum se habiturum dicebat, si populus Romanus voluerit, Arnifæus *de Jur. Maj. lib. 2. cap. 3. n. 15.* ita & hodie annus ille vigesimus adeo strictè non attenditur, sed quandoque suppletive, ac dispensative ætatis venia indulgetur, Myler *Ætol. Ord. Imp. cap. 4. n. 7.* Atq; etiam Hamburgi infra vigesimum ætatis annum constituto ætatis veniam datam esse, meminit B. Dn. Placcius *ad §. ult. Inst. de Curat.* Ut adeo proposita Quæstio haud dubie affirmanda sit.

V.

Postquam de eo vidimus, an venia ætatis testamenti factionem tribuat, nec ne? de eo quoque videndum, quid juris circa Puberum Testamenta obtineat extra svavissimæ Patriæ Territorium? Quoties vero hoc casu de ipsa persona, ejusque perpetua capacitate, qualitate, conditione, statu, dignitate, nobilitate, &c. agitur, totum hoc pendet a potestate, vel statutis ejus loci, ubi Domicilium habet, Magnif. Dn. Coccejus *in Dissert. de Fundata in Territ. & Plur. Locor. Concurr. Potest. cap. 5. §. 63.* Imprimis vero id locum habet, si de iis bonis testari quis velit, quæ in loco domicilii sita sunt. Quid enim circa bona, in alieno Territorio sita, dicendum sit, de eo infra videbitur. Ut proinde etiam extra patriam ad testamentum puberum, qui majorennitatis annos nondum adepti sunt, Curatore opus sit. Nec obstat, quod quis illius loci, in quo testamentum condit, solennitates observare obligatus sit. Nam testamenti factio ad testamentarias solennitates non pertinet, utpote quæ modum testandi; non personam testantis, & bona ejus respiciunt.

VI.

Et hæc de Testamentis Puberum hac vice nobis dicta  
E sint.



- 21 sint. Ad alterum igitur hujusce Capitis membrum, videlicet, ad Testamenta Mulierum, progrediendum, Jure Civili igitur, quod ad testamenti factionem, inter masculos, & foeminas nulla est differentia. Et Testamentum Foeminae non minus valet, quam Maris, *Mev. Part. 3. Dec. 59.* Hinc omnes, sine discrimine sexus, modo puberes, & integræ mentis sint, de bonis suis testari possunt, *l. 5. ff. qui testam. fac.* nec foeminae ad testamenti validitatem Curatoris consensu indigent. Quod in actibus inter vivos secus est. Quorum nullus absque consilio & approbatione Curatoris valide expediiri potest. Ex quo est, ut, neglecto Curatoris consensu, Foeminae nec valide contrahant, nec valide actionem intendant, aut suscipiant. At Jure Patriæ Statutario contraria sententia recepta est. Quo tam in actibus inter vivos, quia
- 22 Foeminae usque ad ultimum supremæ vitæ halitum apud Nos in cura sunt, *Stat. Hamburg. Part. 3. tit. 6. art. 21.* quam in actibus Ultimæ Voluntatis Curatorum consensus simpliciter necessarius est. Ita enim *St. Hamb. P. 3. tit. 1. art. 13.* verba se habent: **Ferner müssen auch von wohlgewonnenem Gut kein Knabe unter 18. Jahren/ noch eine Frauens-Person/ sie sey ledig/ oder verheyrathet/ ohne Vormund/ in ihrem Testament, oder letzten Willen etwas vergeben.** In quibus verbis per Tutoris Vocabulum Curator intelligendus est. Cum intra pubertatis annos adhuc constitutus testamento ordinando ineptus sit. Nemini autem
- 23 mulierum, sive maritatae sint, seu non, Curatorem negligere permittitur. His enim, æque ac illis, Curatorum consensus necessarius est. Qui proinde sine vitio nullitatis testamentariae omitti nequit. Circa Statuti æquitatem variorum varia judicia sunt, imo pene, quot capita, tot sensus. Omnes
- 24 eos, qui constitutionis hujus justitiam vel defendere, vel impugna-



## DE TESTATORE.

35

pugnare haecenus ausi sunt, hic nominare, nec temporis, nec instituti ratio nobis concedit. Hinc unum, alterumve eorum, qui materiam hanc aggressi sunt, vel digito indicasse sufficiat. Ad eos igitur, qui Statuti hujus validitatem, & ad obligandum efficaciam in dubium vocant, referendi sunt Jason in *l. ex facto*, n. 7. & seqq. ff. de *Vulg. & Pupill. Substit. ibid.* Castrens. n. 6. & Zas. n. 15. & seqq. Croti *Conf. 52. n. 14. lib. 1.* Contrariam vero sententiam defendunt Afflict. *Dec. 260.* Bald. *Conf. 139. lib. 5.* Tiraquell. *de Leg. Connub. gloss. 5. n. 97.* Peckius *de Testam. Conjug. lib. 3. cap. 1.* Decius *Consil. 455. n. 1.* Cothmann *Vol. 3. Consil. n. 34.* aliique. Dubitantium ratio-  
 nes praecipuae in eo positae sunt, quod valde iniquum sit, auf-  
 ferre alteri testamenti factionem, *l. 43. ff. de Vulg. & Pupill. Subst.* Praeterea aequitati non congruit, testamenta ex alieno pendere arbitrio, *l. 70. ff. de hered. instit.* Est enim de testa-  
 menti substantia, ut sit nostrae, non alienae voluntatis justa sententia, *l. 1. ff. qui testam. fac.* contra quam Statutum irrationabile, & invalidum esse videtur, *cap. 8. de Consuet. in 640.* Insuper & huius generis Constitutio, quae Foeminis testamenti factionem prohibet, differentiam inter masculos, ac foeminas constituit, atque naturam adeo, & Deum accusat, quod non omnes fecerit masculos. Quod vero iniquum, & bonis moribus contrarium est. Verum ad has dubitandi  
 rationes quod attinet, negatur, foeminis liberam testandi facultatem hac ratione adimi. Neque, quid velit Testatrix, ab alio jubetur petere, sed, ut cum effectu velle possit, in alterius consensu collocatur. Denique nec ultimum dubium aequitatem Statuti hujus evertit. Quandoquidem non inter masculos, & foeminas: sed tantum inter testamenta eorum discrimen introductum est, idque intuitu solennitatum. Nec Foeminae propterea deterioris conditionis sunt,  
 E 2 quam



quam masculi. Cum foeminis æque ac masculis testandi licentia libera sit. Atque hinc non possum non eorum amplecti sententiam, qui pro statuti æquitate pronuntiandum autumant. Est enim fragile, & infirmum muliebris sexus consilium, multisque captionibus suppositum. Unde ab eo facile verborum blanditiis, & importunis adulantium precibus, dispositio quædam extorqueri potest, *l. 2. ff. ad SCt. Vellej.* Hinc enim olim Foemina, instar pupillorum, constitutæ erant in perpetua tutela, nec hodie fere aliud apud Nos obtinet. Cum in plerisque provinciis Imperii Romano-Germanici a tutoribus, curatoribusque suis regantur, nec absque eorum auctoritate de rebus suis disponere possint.

## VII.

28 Quid vero in Mulieribus Mercatricibus obtinet? Num illæ a necessitate adhibendi Curatorem immunes sunt? Videtur affirmandum. Quicquid enim in actibus inter vivos, id etiam secundum Statuta Patriæ in actibus ultimæ voluntatis videtur juris esse. At vero Jure Civili, & Patriæ Statutario Mercatrix Foemina sine Curatore contrahit, *St. Hamb. Part. 2. tit. 8. art.* Videtur igitur, etiam sine Curatoris consensu testandi actus ab ipsa valide celebrari posse. Cum vero intuitu mercaturæ tantum, & actuum, ad mercaturam spectantium, mercatrix mulier curatoris consensu non indigeat, hæc vero qualitas in ultimis voluntatibus penitus cesset: hinc contrariam sententiam foveo, & ad Testamenta Mulierum indistincte Curatorem, ejusque consensum necessarium esse, omnino mihi persuadeo, in primis, cum etiam familiarum conservatio, quam intendere publice expedit, hac ratione promoveatur. Atque hæc de altero Capitis hujus Membro, de Testamentis Mulierum. Ad Bona igitur, de quibus testari permissum est, deveniendum.

CA-



CAPUT III.

De

Bonis Hereditariis.

SUMMARI A.

- Expedi, Familias conservari in Rep. num. 1.
- Hinc multa in favorem Familiarum in jure Romano statuta. n. 2. seqq.
- Inde de Bonis Hereditariis non valet Dispositio Hamburgi. n. 9.
- Nisi heredes consentiant. n. 10.
- Juri Civili incognita est distinctio inter bona hereditaria, & acquisita. n. 12.
- Introducta Jure Hamburgensi, & Lubecensi. n. 12.
- Bona hereditaria sunt triplicis generis. n. 14.
- Primum genus. n. 15. seqq.
- Secundum genus. n. 19. seqq.
- Tertium genus. n. 21. seqq.
- Quænam sint Bona acquisita? n. 25. 26.
- Vel titulo lucrativo, vel oneroso. n. 27. 28.
- Quid in Bonis hereditariis, extra Territorium Hamburgense sitis? n. 30. seq.
- Quid, si Civis Hamburg. extra Patriam Testamentum condat? n. 33. seqq.
- Quid, si quis Juri Civitatis renuntiaverit? n. 35. 36.

I.

**F**amilias conservari, cuique gratum, reipublicæ utile, affectioni cujusque congruum est, Mev. P. 7. D. 18. n. 6. & Conf. 81. n. 16. Interest enim reipublicæ, decus, & honorem familiarum conservari. Hæc vero opibus illorum, qui sunt de familia, illustrantur, Dec. Resp. 9. n. 4. Vol. 3. Quare favor familiarum multis singularibus locum facit, Mev. d. Conf. 81. n. 39. Hinc Bona Avita,

E 3

ta,

FRANCO





CAPUT III.

38

- 2 ta, & Majorum in familia debent permanere, ut familia per ea conservetur, *Mev. Conf. 43. n. 48.* Bona enim, & divitiæ conservant familiam, & absque eis decus, & honos perit, ac fordescunt familiæ, *Mev. ibid. Conf. D. Lynckeri Disp. de Vinculo Familiae, Jen. 1691.* Ac eapropter Romani Veteres imprimis studuerunt, ut familiarum amplitudini, ac dignitati consulerent, ex qua totius reipubl. dignitas æstimanda, *Excell. Thomaf. in Disp. de Usu Jur. Pater. Roman. secundum mor. Germ. & Jus Borusf. Revis. cap. 1. §. 9.* Nam familiarum dignitas ex earum præsertim antiquitate, latissimaque propagatione, itemque ex patrimonii facultatibus, per multos descendendum gradus producta linea æstimatur, *Dn. Thomaf. ibid.*
- 4 Magna autem Familiarum in republ. existit necessitas. Sunt enim rerumpubl. omnium summaria, & veluti rudimenta, *Bodin. lib. 2. de Republ. cap. 2.* Ex quo est, ut successu temporum a Majoribus nostris varia in Jure Remedia excogitata fuerint, quibus Bona Familiarum, maxime illustrium, ad eandem splendorem, dignitatem, & amplitudinem continuandam, conservarentur integra, & dedecorosa posterorum e-
- 5 gentiæ obviam iretur. Hunc enim in finem Primogenituræ, & Majoratum Jura introducta sunt, *Tiraquell. de Jur. Primog. lib. 1. cap. 11. n. 3.* Hunc in finem Renunciationses Filiarum in favorem fratrum inventæ, *Honedæus lib. 1. Consil. 29. n. 71. & seqq. Kellenbentz. de Renunciat. Qv. 19. n. 10.* nec non Confraternitates, ac Pacta Successoria, inter illustres Familias inita, *Reusner. lib. 1. Consil. 3. num. 30. Gail. lib. 2. Obs. 127. n. 2.* Plurimis etiam in locis Collegia Ecclesiastica Cathedralia (*die Hohen Stifter*) instituta, uberrimisque proventibus data fuerunt, ut ibi Generosæ Familiae, numerosa sobole abundantes, receptum haberent, quo partem liberorum exhiberent, omnibus alias paternæ hæreditati incumbentibus,
- Be-



DE BONIS HÆREDITARIIS.

39

Besold. *lib. 1. Politic. cap. 6. n. 28. & de Succesf. Reg. lib. 1. Diff. 6. n. 18.* Nolden *de Stat. Nobil. cap. 11. n. 28.* Multa insuper Bonorum Allodialium, ut solis Masculis reservarentur, Potentioribus in Feudum oblata, & nexu feudali imbuta sunt, Reinh. a Gemmingen/*in dem Gemmingschen Stamm-Baum/ Part. 2. cap. 6.* Jura quoque Retractus Consanguinitatis, lege divina stabilita, Levit. *cap. 25. v. 25.* Ruth. *cap. 4. v. 4. & seqq.* Jerem. *cap. 32. v. 7. & seqq.* per Statuta passim recepta deprehenduntur, Reinking. *de Retract. Consanguin. Qu. 1. num. 16.* B. Dn. Placc. *Supl. 11. ad §. ult. Inst. quib. alien. lic. Conf. Stat. Hamb. Part. 2. Tit. 8. art. 2. 3. 4.* Matrimonia quoque ad Morganaticam, s. Morgengabicam introducta sunt, 2. *Feud. 29.* Pufendorf. *de Jur. Nat. & Gent. lib. 2. cap. 1. §. ult.* tanto felicius effectum suum sortitura, si natis exinde eo usque saltem, quousque liberi ex priori matrimonio supersunt. non vero in totum præscindatur Successio, ne ingruente alias opinione citius Familiarum, satis alioquin ampliarum, interitu, omni penitus Successore Familia excidat, Myler. ab Ehrenbach. *in Gamolog. Princip. German. cap. 6. §. 36.* Struv. *Syntagm. Jur. Feud. cap. 9. §. num. 9.* qualia luctuosa Exempla forte novit Silesia. Huc etiam pertinent Fideicommissa Familæ, 8. quæ parem in finem iutroducta sunt. Videlicet, ut conservationi Familiarum, quæ opibus destitutæ ruinam minantur, consuleretur.

II.

Atque hæc vera, ac genuina ratio est, qua Prudentissimi 9  
Majores nostri impulsu sequens Statutum condiderunt: *Der-  
ner mag ein jeglicher/ er sey gesund/ oder krank/ doch bey guter unge-  
schwächter Vernunft/ in seinem Testament, welches er obgesetzter  
massen verordnet/ seine wohlgenommene Güter/ nach Abziehung der  
Schulden/ hingeben/ und wenden/ wie/ und wem er will/ ohne einige  
Ein-*





Einpruch/ oder Hinderung: Aber von Erbguth ist niemand/  
 vermöge dieser Stad. Recht/ ohne seiner Nächsten Erben  
 Erlaubniß/ oder Bewilligung/ zu testiren bemächtiget/ son-  
 dern dasselbe seinen rechten Erben ungeschmälert zu lassen  
 schuldig/ Stat. Hamb. Part. 3. tit. 1. art. 4. Idem docent art. 5.  
 verba: Hätte auch jemand Erbguth empfangen/ und darzu Gutt ge-  
 wonnen: So soll/ und mag er seinen rechten Erben zuehren/ so viel  
 er zu Erb empfangen/ oder mehr/ ob er will/ und das übrige hinwen-  
 den/ und geben/ wohin es ihm beliebt/ und gefällig ist. Quibus  
 10 textibus testamentaria bonorum hæreditariorum alienatio  
 ordinarie interdicta est. Aliud enim est, si hæredes in alie-  
 nationem consentiant. Est enim hæc interdictio in ipsorum  
 favorem a Prudentissimis Majoribus nostris inventa, ac in-  
 troducta. Cuilibet autem liberum est, favori pro se introdu-  
 cto renunciare, l. 29. C. de Pact. l. pen. C. de Transact. Hinc, si  
 consensus eorum, qui tempore conditi testamenti, & mor-  
 tis testatoris, proximi hæredes sunt, deficiat: de bonis hære-  
 ditariis ultima mentis testatio ipso jure nulla est, nec optatum  
 sortitur effectum.

## III.

11 Postquam de ratione interdictæ bonorum hæditario-  
 rum alienationis testamentariæ vidimus, restat, ut in Bono-  
 rum Hæreditariorum Naturam inquiramus. Jure autem Ci-  
 12 vili distinctio Bonorum in Hæditaria, Erbgüter/ & Acquisi-  
 ta, Erworbene/ oder Wolgewonnene Güter/ ignota est. Hoc e-  
 nim Jure omnia bona, s. labore, s. ex hæditate quæsitæ, ita  
 consolidantur, ut unum inde fiat possidentis patrimonium,  
 l. 10. §. 2. ff. de Vulg. & Pupil. Substit. l. fin. ff. de Inoff. Testam. Mev.  
 ad Jus Lub. lib. 1. tit. 10. art. 6. n. 2. Forster. de Success. ab Intest.  
 lib. 1. cap. 4. n. 16. Hinc non modo indistincte ab intestato,  
 in utroque regulariter succedunt Cognati, Dn. Strykius de  
 Suc.



DE BONIS HÆREDITARIIS.

41

*Success. ab Intest. Disp. 2. cap. 1. §. 21. Mynsing. Cent. 6. Obs. 55. n. 3.* sed & testaturo de utrisque pro lubitu competit facultas, ultimis suis judiciis disponendi, Dn. Strykius in *Dissert. de Collat. Jur. Rigens. & Commun. cap. 6. n. 31.* Nam Jure Communi quilibet, testamenti factionem habens, non tantum de rebus, sua opera, & propria industria acquisitis, sed etiam de bonis avitis, & aliis, jure hæreditario acceptis, testamentum facere potest, *l. 1. C. de SS. Eccles. & tot. tit. ff. & C. qui testam. fac. poss.* At Jure Patrio Hamburgensi, nec non Lubecensi, **Lübsch. Stadt-R.** lib. 2. tit. 1. art. 2. aliorumque locorum Statutis, recepta est, imprimis quoad testamentariam dispositionem, distinctio inter hæreditaria, & acquisita. Ac primo quidem videndum, Quanam bona hæreditaria sint? Quæ enim Hæreditaria non sunt, Acquisita sunt, uti ex rei natura expresse sanciunt Lubecenses *lib. 1. tit. 10. art. 6.* Bonorum autem Hæditoriorum secundum Statuta Patriæ tria dantur genera. Primum genus Stat. Hamburg. *Part. 3. tit. 1. art. 7.* verba initialia constituunt in illis, quæ quis 1. jure proximitatis, tam in linea recta, quam collateralis, & quidem 2. per successionem ab intestato, non vero ex sola, & libera defuncti voluntate, testamento, vel codicillo declarata, accepit. Unde wird disfalls für Erbgutt gehalten/ und genennet/ nicht allein/ was jemand von seinen Eltern/ oder nächsten Freunden/ durch tödtliche Fälle angeerbet/ &c. Equidem, si Pater inter liberos dispo- fuerit, vel ab intestato alias successuros testamento hæredes instituerit, vel juxta Stat. Hamb. *d. tit. art. 11.* ipsis consentientibus, bona inter illos diviserit: Testamentum adest, & hæredes testamentarii esse videntur. At vero hæredis, alias successuri, institutio non tam delatio successionis originaria est, quam delatæ legibus determinatio, Schilt. *Exerc. 38. §. 174.* Quamobrem hæredes tales æque pro legitimis, atque si non essent instituti, habendi sunt. Nec successionis jus inde mu-  
F tatur;

17





42 CAPUT III.

tatur; sed ita delata nihilominus ab intestato venisse æsti-  
 manda sunt, uti *arg. tot. tit. ff. si quis omiss. caus. testam.* recte  
 18 asserit *Mev. ad Jus Lub. Part. 1. tit. 10. art. 6. n. 45.* Si vero con-  
 sensu proximi, & ab intestato successuri hæredis bona hære-  
 ditaria in extraneum, vel actu inter vivos, *St. Hamb. Part. 2.*  
*tit. 8. art. 3.* vel ultima voluntate, *Part. 3. tit. 1. art. 10.* fuerint  
 collata: pro bonis hæreditariis haud quaquam haberi pos-  
 sunt. Nec enim a proximo cognato, nec successione legiti-  
 ma acquisita sunt. *Mev. loc. cit. n. 27. & seqq.*

IV.

19 Secundum genus Bonorum Hæreditariorum ea bona  
 constituunt, quæ Parentes liberis, & proximi Cognati hære-  
 dibus ab intestato, peculiarem œconomiam instituentibus,  
 aut matrimonium contrahentibus, assignarunt, & tradide-  
 runt. Quod ipsum comprobat *St. Hamb. Part. 3. tit. 1. art. 1.*  
 Und wird dis falsß für Erbgutt gehalten / und genennet / nicht allein /  
 sondern auch / mit was Gutte die Eltern Ihre Kinder / oder die Freur-  
 de ihre nechste Erben / bey der selben Vollmacht beraten / und ausge-  
 20 steuret haben. Atque hinc bona ista in vicem hæreditatis ce-  
 dunt, adeoque separationis tempore aut huic renunciandum,  
*Stat. Hamb. Part. 3. tit. 3. art. 2.* aut, mortuo illo cognato, bona  
 illa in hæreditatem conferenda, *Stat. Hamb. Part. 3. tit. 4. art. 1*  
*& 3.* aut hac abstinendum est, *St. Hamb. Part. 3. tit. 4. art. 2.*  
 Quamobrem recte hanc assignationem vim ultimæ volun-  
 tatis habere, & assignata bona hæreditaria esse, per *l. 21. & fin.*  
*C. Fam. Hercisc.* ostendit *Mev. l. c. n. 44.*

V.

21 Tertium genus constituit Lucrum Dotis, & Donatio-  
 nis propter Nuptias, & Portio Statutaria: Imgleilichen / was  
 von dem jenigen / so einem Manne / von wegen der Frauen / und der  
 Frauen / wegen des Mannes / von Erbgutt mitgegeben / oder bey ih-  
 rer bender Leben mit angeerbet wird / nach Absterben des einen Ehe-  
 gatter / bey dem Uberlebenden verbleibet / wird billich für Erbaut ge-  
 rech / et /



DE BONIS HÆREDITARIIS.

43

rechnet/ und gehalten/ St. Hamb. *P. 3. tit. 1. art. 8.* Generatim qui- 22  
dem bonis hæreditariis hæc annumeranda non sunt, cum  
Conjuges nec parentum, nec cognatorum appellatione ve-  
niant, *l. 51. ff. de V. S. l. 1. ff. Unde vir, & ux.* neque jure proximi-  
tatis; sed vel pacto, vel legis dispositione ad hæreditatem  
vocentur, *Mey. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 10. art. 6. n. 23. 24. Coth-*  
*man Vol. 1. Conf. 40. & Vol. 3. Conf. 11.* Interim tamen hære- 23  
ditario jure eo casu veniunt, si conjux superstes lucrum dotis,  
aut matrimoniale ex bonis defuncti, non acquisitis, sed  
hæreditariis, pro parte, aut in totum acceperit. Ratio hu- 24  
jus dispositionis fundari videtur in Universali illa Bonorum  
Societate, quæ inter Conjuges Hamburgi viget, St. Hamb.  
*Part. 3. tit. 3. art. 3. & Part. 2. tit. 11. art. 13.* Et hæc sunt Bo-  
na Jure Patrio Hæreditaria, s. immobilia sint, s. mobilia, uti  
ex St. Hamb. *Part. 3. tit. 1. art. 7. & tit. 4. art. 1.* constat. Quo-  
rum determinatio tamdiu relinquitur defuncti conscientia,  
donec publicis monumentis contrarium probatum fuerit.  
Idque volunt St. Hamb. *Part. 3. tit. 1. art. 6.* verba, quæ hæc sunt  
Und damit das Erbgut bey den rechten Erben bleibe: So soll ein jeg-  
licher auff seine letzte Stunde des Todes nehmen/ was/ und wie viel er  
von Erbgut empfangen hat: Es wäre dann/ daß man anders könte  
beweisen mit Gerichte/ und Rath der Stadt/ daß solch Erbgut mit  
Rechte wäre gefodert/ und erworben.

VI.

Reliqua Bona Acquisita sunt. Et hæc notanter dicun- 25  
tur, **Wohlgewonnene**/ i. e. Honestæ, & Juste Acquisita. Uti  
enim neminem in justa possessione rerum Statuta Patriæ  
turbari volunt: ita injustæ possessioni nullo modo favent, St.  
Hamb. *Part. 3. tit. 3. art. 18. Part. 2. tit. 17. art. 4. Part. art. 8. & 35.*  
Hinc injuste acquisite restitutionem ex bonis hæredita-  
riis permittunt, *Part. 3. tit. 1. art. 12.* At vero honeste acquisita 26  
bona sunt omnia illa, quæ modis, *Jur. Nat. & Gent. Civil. &*  
F 2 Hamb.

F 2





CAPUT III.

- 44  
 27 Hamb. non prohibitis, titulo sc. lucrativo, vel oneroso acqui-  
 sita sunt. Quorum illa juxta St. Hamb. *Part. 3. tit. 1. art. 7.* ex  
 singulari affectione, **aus sonderlicher Gunst / und Zu-  
 neigung**/conferuntur, donatione tam inter vivos, St. Hamb.  
*Part. 3. tit. 4. art. 4.* quam ultimæ voluntatis, *Part. 3. tit. 4. art.*  
 4. Quorsum inventiones rerum etiam referendæ sunt, §. 18.  
 28 39. *Inst. de Rer. Div. l. 1. ff. De derel.* Hæc vero, sc. oneroso titulo  
 quæ sita, illa habentur omnia, quæ secundum St. Hamb. *Part. 3.*  
*tit. 1. art. 7.* industria, & labore **durch Bemunfft / und sorg-**  
**fältige Arbeit /** & secundum *Part. 3. tit. 4. art. 6.* diligentia,  
 ingenio, mercatura, opera, & labore, nec non juxta *Part. 3.*  
*tit. 1. art. 9.* parca bonorum, tam acquisitorum, quam hære-  
 29 **Haußhalten**/acquiruntur. Atque de hisce bonis tantum di-  
 sponendi testamento licentia Statutis Patriæ concessa est. De  
 bonis autem hæreditariis testandi facultas adempta est.

IIII.

- 30 Num autem hoc ad bona hæreditaria, extra suavissimæ  
 Patriæ territorium sita, extendendum est? Negatur, quod  
 31 ad bona immobilia. Nam horum intuitu Testator Statu-  
 tis, ac legibus illius loci subjectus est, in quo sita sunt, licet a-  
 libi domesticos lares habeat, *Besold. lib. 2. Consil. 34.* Gylm.  
 32 *Decis. Cam. 31. n. 24.* Casp. Klock. *Consil. 27. n. 37.* Ad stipulan-  
 tur huic Decisioni Juris Lubecensis Conditores, *lib. 2. tit. 1.*  
*art. ult.* inutile pronuntiantes tale Testamentum, quod Ci-  
 vis Lubecensis, cui pariter interdicta est de bonis hæreditari-  
 is testamenti factio, alibi, in præjudicium hæredum ab inte-  
 stato venientium, voluit ordinare. *Conf. Mev. ad d. art. in*  
*fin.* qui ibi recte docet, Testatorem in Formalibus Testa-  
 menti, juribus illius loci, in quo conditur Testamentum, ad-  
 strictum esse: circa Bona vero, eorumque qualitatem locum  
 rei sitæ, ejusque leges inspici, ac attendi debere. V.



Quid vero, si bona hæreditaria Hamburgi sita sint, & 33  
 Testator Civis Hamburgensis sit, Num juvat ire Rostochium,  
 ubi inter bona hæreditaria, & acquisita discrimen non est  
 quoad testamenti factionem, Cothm. Vol. 1. Resp. 1. n. 5. Si-  
 brand. de Jur. Publ. Civ. Lub. P. 1. S. 10. n. 8. Respondetur  
 negando, ob eandem, quam circa bona extra territorium sita  
 allegavi, rationem. Huc accedit, quod Statutum Cives ob- 34  
 liget, etiam extra territorium Statuentium, Mev. ad Jus Lub.  
 Quæst. Prelim. 6. num. 1. Ut proinde Civis Hamburgensis  
 etiam apud Exteros vivens, Statutis Patriæ vivere teneatur.  
 An vero post Renunciationem Civitatis, & Decimationem 35  
 factam, de bonis hæreditariis, Hamburgi sitis, testari licet?  
 Negative concludit Besoldus lib. 2. Consil. 34. Nam, licet Te- 36  
 stator Civitati renunciando, & in alienam ditionem migran-  
 do, quoad personam Jurisdictione Civitatis exemptus sit, illud  
 tamen ad bona hæreditaria, quæ in loco illo manent, tra-  
 hendum non est. Hæc enim legibus illius loci adhuc obno-  
 xia sunt. Cum locus Rei Sitæ fundet Jurisdictionem.

## CAPUT IV.

De

*Hæredis Institutione.*

## S U M M A R I A.

Forma Testamenti quotuplex? Rationes ejus exhibentur. n. 6.  
 num. 1. 7. 8.

Hæredis Institutio basis, & fun- An quis Hamburgi pro parte  
 damentum Testamenti, est. testatus, & pro parte inte-  
 num. 2. 3. status decedere possit? n. 9.

Aliud Jure Hamburgensi. n. 4. 5.  
 10.

F 2

Quid



Quid juris, si bona alibi sita  
sint? n.11.12.

Hamburgense Testamentum  
condatur? n.13.

Quid, si extra Territorium  
Conclusio Dissertationis. n.14.

I.

- 1 **F**orma Testamentorum J. Civ. duplex est. Nam alia dicitur Extrinseca; alia vero Intrinseca. Quarum hæc in Hæredis Institutione: illa vero in observatione reliquarum Testamentariarum Solemnitatum posita est. De Institutione hoc loco agendum est. Hæc vero est basis, caput, ac fundamentum totius Testamenti, §. 34. *Inst. de Legat.* sine quo Testamentum non subsistit, *l. 3. ff. de his, quæ in test. del.* & a quo Testamenti initium regulariter fieri consuevit, *l. 1. pr. ff. de Hæred. Inst.* Hæredis enim Institutio ad substantiam Testamenti pertinet, & tanquam differentia specifica, Testamentum a reliquis ultimis voluntatibus omnibus distingvit. Adeoque ad Testamenti validitatem necessario requiritur. Forma enim dat esse rei, & cessante rei forma, corrumpit totius rei natura. At vero Jure Statutario Hamburgensi aliud constitutum est. Nam, licet hæredis institutio deficiat, ultimæ tamen voluntates nihilominus ratæ, firmæ, ac validæ sunt, idq; probant *St. Hamb. Part. 3. tit. 1. art. 22.* verba: Ob wol auch in gemeinen Rechten die Erbsetzung in einen jeden Testament für das Hauptstück gehalten wird: So sollen doch/nach diesem unsern Stadrecht / zu Handhabung des Testatoris Willens/ auch die Geschäfte/und Ordnungen/ darin kein Erbe benennet wird/ für kräftig gehalten/ und vollstrekket werden. Atque hinc oblatio, s. pollicitatio successione totalis, s. in omnia defuncti bona, secundum Patriæ suavissimæ leges, de Testamenti substantia non est: sed sufficit particularis successione, imo,
- 6 vel in unam aliquam rem, promissio.

II.

Rationem hujus Dispositionis ipsa Statuti verba comprehen-



DE HÆREDIS INSTITUTIONE.

hendunt. Videlicet, Favorem Testatoris, & Ultimarum Vo-  
luntatum. Insuper adhuc aliam Statuti causam dari posse e-  
xistimo. Cum enim quis partim hæreditaria, partim acqui-  
sita bona possidet: de his solummodo testari ipsi permissum  
est; hæreditaria vero bona hæres ab intestato nanciscitur, St.  
Hamb. Part. tit. 1. art. 4. 5. At vero in hoc Testamento, in  
quo non nisi de parte bonorum, nempe de bonis acquisitis,  
disponi potest, hæres institui plane nequit. Utpote qui de-  
functo succedit in omnia bona: non in partem eorum. Un-  
de sponte fluit, Testamenta Hamburgi subsistere, etiamsi  
Hæres institutus non sit.

III.

Qui vero fieri potest ut quis de bonis acquisitis testari,  
de hæreditariis vero nequeat, adeoque pro parte testatus, &  
pro parte intestatus decedat? Quid Jure Civili responden-  
dum sit, per se patet. Nemo enim, Milite excepto, l. 6. ff. l. 2.  
C. de Testam. milit. pro parte testatus, & pro parte intestatus  
mori potest, §. 5. Inst. de Hæred. Instit. Aliud vero legibus Pa-  
triæ cautum est, quæ non solum de omnibus; verum etiam  
de aliquibus bonis testamento disponere concedit, St. Hamb.  
Part. 3. tit. 1. art. 4.

IV.

Quod Dispositio hæc Statutaria de Hæredis Institutione  
Testatoris bona, Hamburgi sita, afficiat, si Testamentum  
Hamburgi ordinetur, id extra omne est dubium. Num vero  
ad bona, in alieno Territorio sita, id ipsum extendendum  
sit, hoc vero in utramque partem admodum probabiliter vi-  
detur disputari posse. Quod me attinet, affirmative deci-  
dendam quæstionem existimo, cum, ad Testamenti validita-  
tem, etiam extra territorium sufficiat, Statuta, ac Formam il-  
lius loci, in quo Testamentum conditur, observasse, ut supra  
jam dictum est. Quid vero, si extra Territorium Hambur-  
gen-



46 CAP. IV. DE HÆREDIS INSTITUT.

se de Bonis, Hamburgi sitis, Testamentum fiat, an Hæredis Institutio necessaria est? Respondetur affirmando, nisi Statutis loci necessitas hæredem instituendi remissa sit.

14 Atque hæc ea sunt, quæ tempore destitutus circa Materiam Testamentariam Hamburgensium in medium proferre potui. Si quid in iis erratum sit, memento, Lector Benevole, Errare humanum esse. Nec enim omnibus partibus absolutum Opus componere animus fuit. Ut itaque Juvēnes hosce conatus in meliorem partem interpreteris, majorem in modum rogo. DEO vero Ter-Optimo, Terque-Maximo, pro præstito auxilio, sit Laus, Honor, & Gloria.

---

COROLLARIA.

I.

**I**N Jure Naturali, tanquam parte Philosophiæ Practicæ, multius auctoritatem agnosco. Imo, nec ipsius Scripturæ Sacræ. Ejus enim auctoritas ad Forum Theologicum pertinet: non ad Forum Philosophicum. Utpote in quo rationibus tantum veritas stabilienda est.

II. Juris Naturalis fundamentum est mutuum omnis generis adjutorium.


III. Successio testamentaria successione ab intestato, si Jus Naturæ observandum esset, multo deberet esse crebrior atque frequentior.

IV. In collatione beneficiorum ad usum & indigentiam majorem eorum, in quos conferuntur, respiciendum est, si plures concurrant.











Halle, Diss. 1700

ULB Halle 3  
002 100 509



Vd 17











B.I.G.

Farbkarte #13

*No: 340.*

*1700*

*24*

*10*

GURALIS JURIDICA,  
**GENSIUM**  
**MENTIS,**  
 M,  
 IFICENTISSIMO,  
 CIPE AC DOMINO,  
**WILHELMO,**  
 NB. ET ELECTORATUS  
 E, &c.&c.  
*idericiana,*  
 FACULTATIS JURIDICÆ  
 IDE  
**LE STRYKIO, D.**  
 ET FACULTAT.  
 ECANO,  
**CENTIA**  
 que Jure Honores  
 uendi,  
 . R. S. M DCC.  
*pomeridianis,*  
 disquisitioni submittit,  
**CUS THO BÜHREN,**  
 gensis.

oh. Jac. Krebsii, Acad. Typ.

1700

